



Samelbd.

0/0

die,

DE
AFFECTIBVS
IN FACVLTA TE
COGNOSCENDI
PROPOSITA COMMENTATIO.

QVA
AD AVDIENDOS
NONNVLLOS LYCEI TORGENSIS
ALVMNOS

D. XV. IVN. MDCCXXXV. H. L. Q. G.
PVBLICE DECLAMATVROS

REI SCHOLASTICAE
FAVTORES

DECENTER INVITAT
CONRECTOR

M. IOANNES HENRICVS LEIDENFROST.

TORGAE
LITTERIS PETERSELLIANIS.

§. I.

Cum in omni doctrina exornanda sapientum scholae singulari industria defudauerunt, quae ad hominis naturam penitus cognoscendam pertinet; tum in ea praecipue, quae de uehementibus animi perturbationibus exponit. Neque ulla dignior, in qua omne studium ponatur, humano generi diuinitus concessa uideatur. Nam cum perturbationes lumini cogitationum maxime officiant, rectissimeque praecipitur, ut eas caute fugiamus; sequitur, ut, quo melius uiolentam, qua mentem nostram afficiunt, uim, cognoscimus, eo felicius eas uitare possimus, et quo magis fugimus, eo propius ad summum illum omnibus expetitur humanae Societatis gradum adspiremus. At Viri docti hactenus non nisi in illas commotiones commentati sunt, quibus Facultas appetendi est subiecta, (quasi uero hae essent unicae, quarum imperui obnoxii sumus,) siue ex illis plurimum periculi nobis imminere, earumque explicationem maxime necessariam iudicauerunt; siue affectiones illae, quibus Facultas cognoscendi subiecta est, industriam eorum praeteruictae sunt, nec aduerterunt illi, inesse quaedam menti nostrae, quae intelligentiae eandem uim inferunt, quam Facultas appetendi a perturbationibus perperitur. De his in cognoscendi Facultate affectibus breui commentatione dicere mihi est constitutum, neque tamen magis perficiendi spe, quam experiendi uoluntate.

§. II.

Quoniam proprietates, quas subiecto cuidam attributas nouimus, quasi materies sunt, ex qua definitiones construimus; singula ea, quibus easdem proprietates communes deprehendimus, sub eandem definitionem cogi possunt. Porro, quaecumque res eandem definitionis formam admittunt; uno eodemque nomine insigniri possunt, et debent. (per princ. Log.) Quibus positionibus praestructis, nihil prohibet, quin inde cogam: Mutationes, si quae in intelligendi ui iisdem proprietatibus gaudent, quibus perturbationes in facultate appetendi sunt affectae, eodem iure, perturbationes facultatis cognoscendi nominari ea posse, et debere.

§. III.

Equidem mentis humanae uires tam arcto inter se uinculo sunt connexae, ut recte putatae pro unica omnino facultate, qua omnis animae nostrae essentia absoluitur, haberi debeant, quam pro nostra in concipiendo debilitate, in tot formas diuiserunt Eruditi, quot illa modis se exferit.

Id

Id quod ex natura entis simplicis exponerem, ipsiusque diuini numinis attributis illustrarem, si aut dubitatio cui in re confecta subnasci posse putarem; aut, quae leuiores sunt, comparatione cum re grauiori instituta explanare fas esset. Errant igitur, qui alteri mentis parti inesse quid putant, quod altera non participet. Neque tamen hoc impedit, quo minus affectionem aliquam, licet ad rotam mentem pertineat, ei praecipue facultati tribuamus, a qua maximam partem pender. Sic gaudium, ut hoc utar, rectissime inter perturbationes Facultatis appetendi recensetur, ceu ad quam bona ex parte pertinet, tamen nemo inficias ire aufert, agnitionem boni et perfecti, quae in Intelligentia est, a gaudio illo abesse non posse. Perturbationes igitur, quas eo expositum, non sunt eae, quibus nihil plane necessitudinis cum reliquis animi uirtutibus intercedat; sed, quae in Facultate ea, qua cognoscimus, quasi resident, tyrannidemque suam exercent.

§. IIII.

Perturbationes autem (quas uulgo *affectus* dicunt, quo uerbo, cum non omni auctoritati sit destitutum, (a) ut breuior sim liceat uti) *Affectus* hi inquam, dicente Cicerone (b) *motus sunt animi nimii, rationi non obtemperantes*, seu, quod perinde erit, praeceleres ejus et effusae mutationes. Nam quodcunque est celere, uim conjunctam habet, ita, ut, si quid grauitatis deest, celeritate compleri, aut hujus defectus illius augmento compensari possit. Hinc omnes, quae aut nimia, aut praeceleri commotione turbantur, et concitari possunt, animi Facultates, affectibus subjectas esse constat. Quis igitur nos ab illis liberos diceret in rebus cognoscendis?

§. V.

Cuncta iudicia nostra, cunctae propensiones et actiones uel ex claris et distinctis, uel ex obscuris et confusis, quas uocant, perceptionibus ortum trahunt. Illud Facultatis *superioris*, hoc *inferioris* esse uolunt Sapientes, utrumque tam ad cognoscendum quam ad appetendum uim pertinet. Mens quoad distinctas sequitur rationes, nunquam sibi non conscia, modum in omnibus tenet, nec eatenus affectibus est exposita. At seposito hoc cogitationum lumine, ubi non nisi obscuras rerum notiones sibi informat, tunc currui similis est, quem effreni equi, quo modo cunque uolunt, feruentibus ex uerrigine rotis, proripiunt, donec praecipit corruat;

A 2

aut

(a) Cic. Qu. Tusc. c. VII. Qualis cujusque animi *affectus* esset. Sen. Ep. XI. Artifices scenici, qui imitantur *affectus*, qui metum &c. Curtius. VI, l. Ad omnes *affectus* impetu rapimur.

(b) Off. L. l. 38.

aut naui, cuius nudum remigio latus est, et quae, turgidis fluctibus, cum uentis luctantibus, diu secatis, tandem ad obiectos infames scopulos adlisa, confringitur. Similiter si quid mentem nostram afficit, ratione non in subsidium uocata, incredibili celeritate et uehementi commotione, cogitationum series acceleratur, uires quasi collectae intenduntur, et augentur, donec defatigati incensas flammam extingui patiamur. Cic. Tusc. III. §. *Animum in duas partes inquit diuidunt, alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. In partice rationis ponunt tranquillitatem i. e. placidam quietamque constantiam; in illa altera motus turbidos, tum irae tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi.* Ejusmodi nimium motum cum affectum dicamus §. III. efficitur, ut affectus tantum in inferiore animi facultate locum habere queant.

§. VI.

Jam de facultate appetendi nihil ad nos attinet. §. I. At in cognoscendo triplex mentis quasi munus obseruatum est. Primum quidem in *notionibus solis formandis* uersatur, alterum *judicando*, et postremum *rationatione* continetur. Singulis his mentis actionibus multum ubique obscuritatis admistum uidemus, cuius ne ipsa rationatio plane experts apparet. Nam hic quoque cum animalibus brutis aliquid commune habemus, quae licet ratione carentia, simile tamen quid rationis habent, et rationandi humili quasi modo praediti uidentur. Neque igitur in singulis his cognoscendi formis possibiles esse affectus, dicere repugnat.

§. VII.

Ideas solas concipimus uel *ut in se sunt*, uel *cum aliqua mutatione*. Si *illud*, nobis uel circumiectae et *praesentes* sunt, eaeque aut *externae*, quarum ideae ope nonnullarum corporis partium, seu instrumentorum, in mentem inuehuntur, quae facultas *sensus* dici solet; aut *internae*, quae nullo impulsu corpus ferunt, sed tantum cogitatione abstractae, menti obuerfantur, quae *intelligentiae* uis est; uel *absentes* sunt, a corpore nostro remotae, olim quidem perceptae, sed nunc abolitae, quam percipiendi formam *phantasiam* seu imaginandi uim uocant, qua cum *memoria* proxime cohaeret: *sin hoc*, tunc duplicem, res obiectas mutandi uiam, ingredimur. Siue enim, quid inter se habeant similitudinis, contemplamur, *ingenii* uirtute; siue rerum partes, natura sua conjunctas modo mente dissoluimus, seorsimque consideramus; modo diuersas, minime ad se inuicem pertinentes, componimus, idque *singendi Facultate*, qua, mirabili quadam audacia, quae nondum sunt, efficere; quae minime

cohae-

cohaerent, quin inter se pugnant, connectere; ipsamque tandem naturam, nisi carpere, saltem imitari tentamus, fere Arioste illi similes, quem Balzai alteram naturam uocat.

§. VIII.

Antequam in uariis, quibus cognoscimus, modis enarrandis progredior, dispiciamus uelim, utrum singulis his, quas recensui idearum gignendarum formis affectus inesse possint, immo re ipsa insint. Equidem hoc ajere non dubito, nihil, quod repugnet, offendens. Nam quaecunque res infinita perfectione non sunt munitae, mutari possunt, compositae quidem, quantitate sua; simplices autem gradibus. At uero mens nostra est simplex natura, uiresque ejus limitibus circumscriptae, ac proinde graduum diuersitatem non respuunt, imminuique pariter ac augeri possunt. Vis autem animi in mouendo consistit, ac motionis hujus accretio tum grauitate, tum celeritate fieri potest. §. III. & affectus nobis audit. ibid. Unde colligo jure meo, in singulis his mentis uiribus affectus esse posse.

§. VIII.

Primum igitur affectum in *sensu* deprehendemus. Sentimus nimirum, quando res externae instrumenta sensuum nostri corporis, uitio omni libera, feriunt. Quoad omnia aequabili modo procedunt, sensus fortioris magis conscii sumus nobis, quam debiliorum, hi autem obscurantur, immo pereunt. At si quid extraordinarium, prima uice, aut si plures res objectas simul sentimus, quae singulae eodem tenore nos afficiunt, quarum neutra alteri cedit, ita ut mens dubia haereat, cui potius insistat, tunc sensus perturbatur, ejusque motus crescit in eadem ratione, qua repraesentationes incrementa capiunt, Tunc, inquam affectus existit, isque duplici effectu. Nam si plura simul sentientes, nobis conscii manemus, STVPOR exoritur. Contra, si mens ita idearum uarietate obruitur, ut neque aliam ab alia distinguere, neque ad singulas amplius attendere ualeat, sed conscientia illarum pariter, ac sui ipsius sensum priuetur; tunc *ἔκστασις*, uoce graeca uocamus illum, qui subnascitur, adfectum. Exemplo hic nobis esse potest homo, quem Brokes, magnum illud Hamburgensium decus fingit in arrugia, aut quibuscunque cimмериis tenebris, altum, ubi nihil quicquam aut uiderit aut audiuerit unquam, neque, si id fieri posset, (at fingere saltem licet) quid contrectauerit, neque gustum, olfactumque trillauerit. Hanc chimaeram, hoc hominis monstrum, si de improviso ponamus in hanc rerum lucem protractum, ita ut tot cantuum modulationes audiret, millenas mundi pulchritudines uideret, reli-

quorumque sensuum ad usum quam fortissimum eodem temporis articulo pertingeret; rectissime censet ille non stupore modo obrutum, sed plane *ἐκείνου* oppressum iri.

§. X.

Eandem, nisi forte majorem vim *sensus internus*, siue rerum mente tantum concipiendarum *intelligentia* in nos exercet. Nam quo difficilius est, cogitationes, a rebus sub sensus cadentibus remotas, ad ea referre, quae tantum mente concipi possunt; eo majori deinde, positus tyrocinii rudimentis, auctoritate, imperant hae cogitationes internae, paullulum adfuefactis. Vnde enim incredibilis ille litterarum, quarum nobilissima pars nihil cum sensibus commune habet, amor atque cupiditas, unde illa minima quae acute sciscendi contentio, nisi nostrarum ipsorum cogitationum desiderio caperemur. Sed hic ipse quem praedico, est gradus intensus, uehemens commotio, quid? Affectus intelligentiae. Quem quo nomine compellabo? *Attentionem* dicerem aut *subilitatem*, aut denique mentis *profunditatem*, nisi intelligerem, haec uerba sub affectu illo comprehendi quidem, sed amplitudinem ejus non exhaurire. Linguarum inopiae tribuendum est, quum uerbum deest notioni exprimendae, quam esse intelligimus. Habemus exemplum intelligentiae purae, qua concipimus, quod nec uerbis nec aliis signis exprimere ualemus, quam inesse posse homini, perperam nonnulli negarunt, forte, quod ad hoc cogitationum fastigium adsurgere ipsis non fuit concessum. Exemplis causa nostra comprobata satis est. Chrysippus, argutiis sapientiae suae intentus, (fortassis contra Epicurum disputaturus, axioma omne aut uerum, aut falsum esse) nisi famula bolum ori indidisset, meditabundus fame periisset. Joh. Wallis, celebris ille Mathematicus in Algebra sua (a) se difficillimas profiteretur demonstrationes non felicius expedire, quam noctu, quiescentibus iis, quae alias oculos auresque infestant. Hic idem noctu decumbens, ingentes calculos subduxit. Cum Joh. Georg. Pelshoferus, Regiomontio Borussiae eum conueniret, in umbra nocturna ex numero 53. digitorum radicem quadratam 27. digitorum feliciter eruit, ut ipse testis est. (b) Erubescio & taceo, indignor etiam, nos, cum uideamus, quid humana natura possit, frigere, nec aemulatione incendi. Recentia praetereo exempla, quorum multa legere licet & iuuat. Mihi ipsi innotescunt nonnulli Viri docti, quibus somnus dimidia nocte arctior, qui integros dies, integros inquam menses non interrupta serie meditando consumserunt, uictus oblit,

ne

(a) Vol. II. Opp. c. 103. f. 450.

(b) l. c. f. 449.

ne cogitationum filum abrumperent; item alii, qui integra eruditorum uolumina calamo descriperunt, cum sumtus iis emendis non pares essent. Quid est? quin dicamus; amici! tantorum decorum humani generis intelligentiam ita affectu concitatum fuisse, ut extinguere eum, nisi re sua confecta, non potuerint.

S. XI.

Res absentes, sed aliquando sensu perceptas repraesentandi facultas, *Phantasia* dici solet. Quando enim menti imagines rerum quaecunque praesentes sunt, recurrere solent species rerum absentium, aliquando perceptarum, quae praesentibus aut similes, aut cum illis simul impressae sunt. Neque tamen haec idearum restauratio simpliciter est necessaria. Nam quas perfunctorie, aut raro, aut ante longum tempus, aut sine attentione hausimus imagines, aut quarum nostra nihil refert, uix redeunt unquam. At si quid distincte, saepius, cum attentione, & ad nos pertinens percepi- mus, ejus idea, quauis data opportunitate resuscitatur. Et quo plures, quo majores, quo saepius perceptas, quo magis ad nos pertinentes imagines, easque quo clarius simul sentimus, eo major gradus exoritur imaginatio- nis, qua concitata, nullam aliam animae facultatem magis a moderatione aberrare, puto, ita, ut ex ea ceu fecunda matre quasi natae uideantur pluri- mae in cognoscendo perturbationes. Nam si quis illis phantasiae spectris nimis indulgens adhaeret, immemor praesentium rerum, alio quasi loco, alioque tempore est in cogitationibus suis, quam corpore. Imagines men- tis non respondere uidentur corporis mutationibus. Aliud cogitant hi homines, aliud cogitare uidentur. Hunc mentis statum, quoad nor dum omnem modum excedit, *distractionem* ejus aut ABSENTIAM dicere lice- bit, cui opponitur is, qui *praesens animo*, aut ut M. Agrippa apud Vell. Pa- terc. (a) *per omnia extra dilaciones positus est*. Auctis autem imaginibus, augetur quoque perturbatio, & in RAPTVM abit. Tandemque, commo- tione ad summum perducta, quod Stoici *ὄρμη* dixerunt, perdita omni re- corporisque motibus, ob arctum cum mente nexum, in confusionem actis, triste AMENTIAE spectaculum existit, quam per summum phantasiae gradum definiri posse ex dictis constat. Neque tamen quicquam difficultates hic maxima acceleratione quasi in gyrum aguntur, ut regulas, si quae sunt, quas animus tanta in confusione sequitur, adsequi nequeamus.

Neque

(a) L. II, c. 79.

Neque illi ipsi infelices homines, quos amentia capit, illis obseruandis sufficiunt, quod raro ad sanam mentem redeunt; saltem, si redeunt, omni praegressi status reminiscencia destituuntur.

§. XII.

Animo, imagines quascunque, habita similitudinis earum ratione, repraesentanti, *ingenium* tribuitur. Quam praeclaram hominis uirtutem minui augerique posse, partim effata §. VIII. euincunt, partim ipsa experientia comprobatur, qua alium hac facultate fortiori pollere uidemus alio. Nihil ergo est, quod repugnet, quo minus affectus illi inesse adstruamus. Atqui similitudines rerum aut uerae sunt, aut fictae affectataeque et ascitae. Si quis rerum similitudinibus obseruandis ita tenax inhaeret, ut plures simul easque tanto impetu concipiat, ut reliquarum imaginum conscientia obliteretur, illius ingenium uehementer motum dicimus, cui affectui nulla Latinorum uox, quantum scio, responderet, nisi quod hominem ejusmodi Cicero *inprimis ingeniosum* appelleret. At si menti informamus imagines, quas, qua in re sint aliarum similes, quidem intelligimus, sed simul, non innatam hanc esse similitudinem, sed aemulam, arte adscitam, et ad ostentationem compositam, seu ut breuiter dicam, fictam, tunc RISVS nobis cietur, qui et ingenium maxima commotione inuoluit, neque minus corpus, in eoque potissimum lienem, obseruantibus scientiae naturalis peritis, mira titillatione afficit. Atque sic, qui sit risus ortus, quae ejus natura, intelligimus. Nihil fere unquam Viros in hoc genere doctos magis animi suspensos detinuit, quaestione de *ridiculo*. Ipse Aristoteles proprietatem hominum dicere, quae explicari nequeat, non erubuit, et cui nihil in hac rerum uniuersitate arduum fuit, quod cogitatione non complecteretur, *ridiculum* definire non ausus est. Idem fere in Abbate Bellegardio desideramus, qui peculiari quidem commentario *ridiculi* omnes formas exhibuit, neque tamen ab origine sua repetere potuit; Anglis quibusdam acceptum referimus, qui, quo sunt ingenio acutissimo, omnem ejus causam, et originem in adfectata aemulatione et ficta similitudine consistere docuerunt, ita, ut quo quis magis ingenio polleat, eo aptior sit ad risum mouendum. Atque haec quidem hominum proprietates, quam Aristotelicae sapientiae aemuli *ridicule satis risibilitatem* dixerunt, ad sapientem illam naturae nostrae compagem ita pertinet, ut abesse uix queat. Neque enim ego tam acris ejus judex essem, ut Dominus Schaffsbury, qui omne omnino id, quod ad risum appetit, ita damnat, ut nos hac uirtute plane careamus, uelle uideatur. Quamuis enim ab eo, quod hac

in re nimium esse solet, uix quisquam me seuerius abhorreat, certum tamen est, si quid iocosum, aut facetum menti nostrae obseruatur, uim ei conjunctam esse, cum mentem exhilarandi, tum lienem uiscido glutine laborantem, eluendi, ita, ut salutaris artis periti moerori, aegritudini, lienis-ue dolori, immo et Phrenitidi, risu moto haud inepte mederi sufficiant.

S. XIII.

A curta digressione rediens ad rem ea nunc nobis se objicit animi Facultas, qua imagines olim perceptas, quas natura copulatas uoluit, se- jungimus, dispares autem, uiolenta quasi ui, et inuitas, mente componimus. Hanc *figendi uim* principem rerum inueniendarum censemus, quarum plurimas non tam profunda meditatione, quam uoluntaria aut conjun- ctione rerum, quae nunquam antea se contigerunt; aut separatione earum, quae semper una fuerunt, exortas scimus. Praeterea enim quod arti pin- gendi, chemicae quoque Musicorumque modulationibus inseruit, in primis diuinae artis poeticae fontem esse constat, quam nisi modulata uersuum imagine, hoc est, rythmis, cum uulgo absolui putamus, nescio quid ejus sit, quod placeat, praeter pictum sublimemque stylum, imaginum acumen, ingeniosasque omnino fictiones, quibus, quo magis quis excellit, eo melior sine dubio poeta habendus est. Quomodo enim Veteres, qui hoc in ge- nere nostris hem! quantum? praestiterunt, Centaurorum fabulas pepere- runt, nisi ita, ut caput humanum uentri equino adaptarent, adeoque quae ex diuersis petita erant in una imagine conjungerent. Non potuit Ovi- dius, princeps ille hac in re artifex, hominis chimaeram menti informare, cujus brachia in ramos abeunt, digitis frondescentibus, capilloque in du- metum mutato, nisi figendi uirtute. Eisdem leges sequuntur pictores, similem oculis exhibitari uoluptatem, qua Poetae mentem sufflamant, cujusmodi uanam speciem figendo constatam nobis Horatius (a) sistit:

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Jungere si uelit, et uarias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne. cet.

Hoc fictionis artificio non solum ea a Poetis fiunt, quae sensus ferunt, sed quaecumque modo alia in eorum carminibus placent, quanquam id primo intuitu secus uideatur. At nihil omnino est, quod magis moueat, quod magis concitet, hac ipsa Poesi. Legatis modo uersus, Amici, si dubium ad- huc sub pectore fixum uos coquit. Legentes inquam, nedum componen- tes, occultam ejus, nescio quam uim experiemini, et quasi sacro fulmine

B

isti,

(a) Art. Poët. v. i. sqq.

icti, aut, ut illa apud Virgilium (a) Sibylla, numine quodam adflati, carlescitis. Idecirco Veteres diuini quid Poësi inesse dixerunt, pro more nimirum eo, quo omne id, cuius causam non nouerant, diuinum nuncupabant. Meditantur Poëtae, conscientia sui perdita, menteque et uoluntate se in uersus conijciunt, fingunt, parturiunt, cibi potusque oblitici, ne circuli turbentur. Carmen quo in Poësin Dominus de Caniz (licet male acerbo animo) inuectus est, hic meretur legi, quo nemo melior hanc Poëtarum crisin adumbravit. At quid? Hic si affectus non est, dubito an ulla omnino mentis commotio hoc nomine digna sit habenda. Modo uerbum nos non deficeret, cui hanc uim subiceremus. *Furorem*, aut si mauultis, *THYRSVM* poëticum dicemus. Nam etsi Thyrsus ui propria hastam cuspidatam, hederis obiectam, quam in Orgiis Bachicis quatiebant, notat; instrumentum tamen a Poëtis celebratur, quo se conitari et accendi arbitrabantur, aptumque proinde uocabulum, cui ipsius caloris poëticæ potestas tribui queat, Lucretio in primis exemplum praeunte, dicente:

Spes laudis percussit *Thyrso* cor meum.

§. XIII.

Hactenus de illo mentis munere fuit, quo notiones sibi simplices representat. Alterum in duabus notionibus comparandis, h. e. in iudicando consistit. Hic multis mutationibus, multis eorum gradibus locus, quoad nimirum obscure et confuse cogitamus. §. V. Qua de re, quo plus dicendum esset, eo breuior ero. Si quis satis multas ideas eodem imperu cogitando complectitur, aut altas secum imagines uoluit, illi *MEDITATIONEM* tribuimus. Si de re nondum satis aestimata celeres iudicium ferimus, *PRAECIPITANTIAE* rei sumus. Irritus iudicii ferendi conatus, cui ignorantia, quid rei tribui debeat, adjuncta est, *DVBITATIO* audit. Causarum rationumque rerum inuestigatio, at frustra suscepta, *ADMIRATIONIS* nomine uenit. Apparet ex data definitione tum *admirationem* sub dubitatione comprehensam formam esse; tum, quid ejus statui debeat, quam magno dissensu alii uoluntatis perturbationibus accensuerunt, alii exceperunt quidem, sed cui alii generi rerum subsit, docere omiserunt. Illa cum gaudio conjuncta mentis commotio, qua, fore, ut boni et perfectionis quid nobis ex re quapiam proueniat, iudicamus, suavis *SPES* est, qua nihil ex immortalium beniuolentia miseriae nostrae praeclarius conigit. *TIMOREM* autem ajimus nobis inesse, quando ex aliqua re nobis mali quid imminere putamus; quae mali expectatio, si repente, nec prudentibus accidit, ira, ut non nisi praeceps iudicium, idque obscure ferre liceat, tunc *TERROR* oritur. Singula haec et sexcenta alia, quae hic per-

cernere

(a) *Æn.* VI,

conferre longum est, in Facultate intelligendi, nequaquam autem in appetendi vi, resident. Immo cum magnas importent et uehementes menti commotiones, perturbationum et affectuum intelligentiae ciuitate merito suo donantur.

§. XV.

Velle uideris B.L. *perturbationes* quoque in ultimo mentis humanae mutere, quod *rationandi* est, euoluam. Parum abest, quin dubirem, hoc laboris adgredi. Nam cum perturbari tantum possit inferior mentis Facultas (§.V.) Ratio autem quam maxime ad superiorem pertineat, immunitis illa huius imperfectionis esse uidetur. Equidem in ipsa illa inferiore mentis nostrae parte deprehendimus, quod rationis nomine quidem indignum est, similitudine tamen prope accedit, quod nobis cum animalibus brutis commune est. §.VI. Quicquid igitur huius est, cum fieri possit, ut tantum obscure cogitationum rationem subducamus, perturbari uim *rationandi* posse, in aprico positum est. At siue experientia hac in re destituimur, siue uerbis, quibus eas, quas cogitando adsequimur commotiones, cum aliis communicemus, unde hanc commentationem aut aliorum industriae commendamus, aut nostrae in aliam occasionem seruatum uolumus. Caeterum, ut, quae uoluntatem turbant, commotiones, quaeque suam corpori mutationem, sanguinisque quasi accensionem inducit; sic etiam eae, quibus facultas intelligendi afficitur, similiter influunt. Viribus mentis cogitando intensis

Tunc nec mens mihi, nec color.

Certa sede manet - - - (a)

Qui stupet, aut *ensorei* correptus est, alio uultu, alio colore corporisque habitu est, quam cui risus morus est. Timidi, aut perterrefacti alia facies est, quam qui habet aliquid in spe. Cognoscite quae se o in meditabundi, et deinde curis soluti. Hunc uideas frontem exporrigere, illum contrahere, et corrugare, alium denique os in moestitiam flectere, prout id mentis fert commotio. At haec suam sibi exposcunt tractationem, *de conuenientia cogitationum mentis cum corporis gestibus.*

§. XVI. Non dubito fore ut L. B. dicat, qui inter tot alias in hanc potissimum, de qua commentatus sum, materiam, inciderim. Duplex fuit causa. Altera, quod hoc argumentum a nemine occupatum scio. Crambe enim saepius recocta, nec ad meum stomachum est, nec ad aliorum. Altera, quod nomina nonnullorum disciplinae nostrae Alumnorum, qui industriae suae specimen dicendo edere, me suatore et moderatore animum induxerunt, indicaturus, et Patronorum nostrorum, Honestorumque quorumlibet beniuolentiam conciliaturus eram. Nam cum unum princeps sit Oratoris munus, ut affectus tum ciere, tum lenire sciat, ego uero in praefectionibus rhetoricis monere soleam, Oratoris non solum esse, uoluntatem flectere, uerum etiam interdum ipsas intelligentiae uires sacra quadam fraude accendere; de eadem fidelia hic utrumque parietem dealbare, ac tum auditoribus meis, quid

(a) Hor., Od. l. 13.

quid hac in re sentiam, uberius exponere, tum Fautoribus musarum nostrarum aliquam studiorum nostrarum rationem reddere, satagi. Auctoritates autem eorum qui dicturi sunt, eo ordine, quo in subscelliis suis se excipiunt, haec sunt.

Ludum aperiens IOANNES FRIDERICVS EHRHARDT, Torgensis, ingenuae docilitatis iuuenis, argumento, *daß ein Redner in allerley Wissenschaften geübt seyn müsse*, vernacula lingua, exposito, concionem ad beniuole audiendum gregales suos, inuitabit.

Deinde IOANNES CHRISTIANVS SCHMID, Pretinensis, moribus discendique cupiditate commendabilis, latina oratione *de juris naturalis immutabilitate* disseret.

Post IOANNES GOTTLOB DOERING, Torgensis, et gente, et mente ingenuus, pro sua qua accensus est solidae eruditionis cupiditate *Antiquitatum cognitionem literarum humaniorum studium mire iuuare*, latinis uerbis euincet.

Dehinc CAROLVS GOTHOFREDVS BRVKMEYER, Zischeplinenfis, laudabili diligentia pariter, ac bonis artibus conspicuus, *de stylo, ingenii morumque scriptoris indice*, latine dicere instituit.

Hunc CHRISTIANUM FRIDERICVM GLASEWALD, Widerauiensis, moribus ad suauitatem compositis, bonaque disciplina et doctrina instructus, *de Sortitione talaria regnorum uini* latina uerba facturus, excipiet.

Porro FRIDERICVS MICHAEL STEIN, Torgensis, optima spei et indolis adolescens artiumque amore flagrantissimus, argumentum Romano ore exponet: *de uera diligentiae in literarum studiis indole*.

Tandem IOANNES CHRISTIANVS KIESLING, Torgensis, cui, quam laudem tribuam, cum multis dignus sit, nescio, *de usu ludorum scenicarum in scholis publicis*, latina oratione loquutus, ut unde orsus est, in eo terminetur actus, sermone germanico eoque ligato, *concioni gratiasaget*.

Haec Lycei nostra decora, haec desideria mea, ea, qua par est animi submissione et obseruantia a Viris Generosissimis, Excellentissimis, Summe Venerabili, Praenobilissimis, Consultissimis, Experientissimis, Plurimum Reuerendis, Doctissimis et quibuscunque aliis omnium ordinum ualde honoratis Lycei nostri Patronis, Muegetis et Maccenatibus intra moenia nostra pariter ac extra eadem; itemque a Honoratissimis Praeceptoribus suis uehementer petunt, et contendunt, ut exercitia haec Oratoria perhonorifica praesentia sua, uultusque splendore a. d. d. h. l. q. e. condecorare dignentur; ne dignis destituantur Auditoribus, qui in elaborandis argumentis suis iatis digne uersati sunt. Haud minori contentione ego idem precor. Nam si nos nobis faciles fueritis, ut confido; (quid enim est, quod musis nostris denegare possitis) tanto beneficio auctus uidebor, ut ejus magnitudinem uerbis exaequari non posse, confessurus, ac cum Charitibus nostris Vestris memoriam nunquam non decore sim culturus. Dedi Torgae ex Museo

III. Id. Jun. cl. l. CCXXXV.

AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3
003 085 112





TA → SL
Nov 75 fkt 1

R

VD 17







29
DE
CTIBVS
VLTATE
SCENDI
COMMENTATIO.

VA
IENDOS
CEI TORGENSIS
INOS
CCXXXXV. H. L. Q. C.
LAMATVROS

LASTICAE
ORES
INVITAT

CTOR
CVS LEIDENFROST.

GAE
ERSELLIANIS.